

42. J. l. 8. 10.

708

DISPUTATIO JURIDICA CIRCULARIS,  
 DE  
 ΙΣΟΨΗΦΙΑ, SEU  
 JURE PARIVM TA-  
 BVLARVM, ET  
 VOTORVM,  
 PRIOR,

*Generalia præmittens.*

QVAM

Assistente Summo Numine,  
 CONSENTIENTE AMPLISSIMA FACVLTA TE  
 JURIDICA, ALMÆ ROSTOCHIANÆ,  
 PRÆSES


JOACHIM. HENRIC.  
 SIBRAND,

V. J. D. & P. P. O. FACVLT. JURID. H. T.  
 DECANVS, AC SENIOR,  
 ET RESPONDENS  
 IPSIVS FILIVS

39.  
40.

JOHAN. SYLVESTER SIBRAND,  
 REGIOMONT. BORVSS.

D. 7. MAZI ANNO M DCC XXI.  
 IN AVDTORIO MAXIMO  
 Publicæ placidæque disquisitioni  
 submittent.




Rostochi, Typis Joh. Wepplingi, SERENISS. PRINC. & ACAD. Typogr.

Diss. jur. civ.  
 554, 56, 1

Folio 238. a





# J. J.

## §. I.



**D**E Jure parium tabularum, (ma-  
teria, haectenus, ad nostram quan-  
tum quidem, antequam elabora-  
ta, peruenit manum, atque no-  
titiam, a Jctis paucis saltem, &  
incidenter tractata: illam enim,  
quam illustris Dn. Henricus Coc-  
cejus, de eo quod justum est, circa numerum Suffragiorum,  
ubi de calculo Mineruae, anno 1705. in Academia Viadrina  
habuit Disputat. ad finem jam perducto nostro labore,  
nobis obuenisse, ex ipsa inspectione, & collatione satis  
patebit) quod ἰσοψηφίας nomine alias venit, (quamuis &  
alio sensu has pares sententias vocitet L. Apulejus Ma-  
daurenſ. in *Asino aureo*, seu *Metamorphoseon Lib. 10. p. m.*  
384. accipiendo nempe hanc vocem pro vnanimi omni-  
um Judicium in re quadam consensu. Verba ipsius ita  
se habent, non procul ab initio d. L. 10. cum jam *Senten-  
tia pares*, cunctorum stilis ad vnum sermonem con-  
gruentibus, ex more perpetuo, in urnam aeneam de-  
berent conjici. H. J. quo etiam sensu apud Pollucem

A

is

Tractationi  
ipsi quaedam  
præmittenda  
de Jure  
majoris par-  
tis.

in *Onomast.* L. 8. C. 4. col. m. 423. ἰσοὶ ψῆφοι memorantur) in præsentī acturi dissertatione, ne illotis ad tractationem hanc videamur accessisse manibus, verbis ut utamur Gaji in L. 1. ff. de O. J. quædam de Jure majoris partis præmittenda erunt, cum veluti Regula sit Collegii, ostendens, quænam pro concludente habenda sit sententia. Quippe teste Vlpiano in L. 160. §. 1. ff. de R. J. ad uniuersos, (per egregiam Juris fictionem) refertur, quod publice fit per majorem partem: Seu, uti Christophorus Sturcius, Almæ hujus Antecessor famigeratissimus, ad d. regulam quondam cecinit, in elegantissimo *Commentar. ad tit. de R. J. p. m. 468.*

Quod major populi pars constituisse probatur,  
Hoc populum totum constituisse puta.

Ita, ut pro membro putrido merito habendus, qui a majori parte impositam spartam, quamque rationibus sat validis eneruare non valet, immerito declinat, fundamenta Collegii inuertendo: Vnico illo excepto casu, si forte mandatum contra bonos mores fit, & in præceptum impingat diuinum, vid. in hanc rem Joh. Sibrand, respect. Pater & Auus noster, in *Disput. de religion. mandati*, Anno 1673. hic habita, §. 50.

In quibus  
hoc funda-  
tum ratio-  
nibus.

1<sup>ma</sup>.

2<sup>da</sup>.

§. II.  
Fundatur autem hoc Jus majoris partis, in sequentibus rationibus, v. g. (1) quod naturalis illa sit præsumptio, quod ubi major pars, ibi quoque circa res agendas, præsuppositis tamen terminis, & subjectis habilibus, major perspicacia. (2) Quod præsidium majoris partis ita fit comparatum, ut utique acquiescere quis illi debeat: nam quod quis in alium statuerit, eodem merito utitur jure: Cum autem quisque sanus velit, majorem in sua causa obtinere partem, quin ergo  
idem

idem velit, vel velle debeat in causa alterius, non dubi-  
 tandum. (3) Quod diversitas mentium & studiorum,  
 vix admittere aliud videatur, inprimis suum cum cui-  
 que habeatur pulchrum, nec voto viuatur vno, plus-  
 que, juxta tritum, videant oculi, quam oculus, prompti-  
 us etiam numerentur Sententiæ, quam expendantur:  
 qua de re signanter scribit Plinius *Epist. 12. Lib. 2.* verba  
 ipsa adjiciemus: *Numerantur enim Sententia, non ponde-  
 rantur, nec aliud in publico Concilio potest fieri, in quo nihil  
 est tam inaequale, quam aequalitas ipsa, nam cum sit impar  
 prudentia, par omnium Jus est.* Conf. Daniel Otto, in *Differ-  
 sat. de jur. Publ. Imp. Rom. Cap. 21. p. m. 479. & Cap. 13. p.  
 m. 343.* Bertram de Comit. apud Arumaeum *de Jur.  
 Publ. Vol. 1. Discurs. 9. Th. 73. fol. m. 178.* Joach. Cluten  
*Dissert. de Comit. S. Rom. Imp. Electoral. Th. 68. qu. 21. p.  
 m. 802.* Rumelin. *ad A. B. P. 1. Diss. 3. Th. 8.* Carpz, *P. 1.  
 Decis. 82. n. 17. seqq. ad n. 29. & P. 1. C. 27. D. 12. n. 2. 3.  
 Ant. Faber in Cod. L. 1. t. 7. Def. 2. n. 2. 3.* Joan Belitz *in  
 Idea Jur. Publ. qu. 92. p. 28.* Burgoldens. *P. 2. Discurs. 19.  
 membr. 3. p. m. 173. seqq.* Jo. Ludov. Praschius *in Dissert.  
 de Jur. major. part. §. 4. ibique alleg. quibus addi pote-  
 runt Theodor. Reinkingk de R. S. & B. Lib. 1. Class. 5.  
 Cap. 8. n. 62. seqq. Carpz. Comment. in L. Reg. German.  
 Cap. 10. Sect. 8. n. 7. seqq.* Accedit præterea (4) æquita-  
 tis ratio, quam docte, in simul ad societatis originem  
 & pactum præsumptum respiciens, eruit Hug. Grot. *de  
 J. B. & P. Lib. 2. Cap. 5. §. 17.* ad stipulante Joh. a Fel-  
 den, *in suis annotat. p. m. 143.* Omnino, inquiens, ea creden-  
 da est fuisse voluntas in Societatem coëuntium, ut ratio ali-  
 qua esset expediendi negotia: est autem manifeste iniquum,  
 ut pars major sequatur minorem: quare naturaliter, se-  
 clusis pactis & Legibus, qua formam tractandis negotiis im-  
 ponunt

3<sup>tia.</sup>

4<sup>ta.</sup>  
Grotii.

ponunt, pars major jus habet integri. Jung. & alii, qui Commentariis suis eundem illustrarunt, & explicatiorem reddere conati, v. g. Caspar Ziegler, in notis suis *subitaneis* p. m. 284. Joh. Adam Osiander, in *Observat.* p. m. 784. Henric. Henniges, in *Observat. Polit. & moral.* p. m. 487. Et quamvis adductam Grotii rationem rejiciat Dn. Coccejus, in *allegat. Dissert. de eo quod justum est circa numer. suffragior. Sect. 1. §. 9. p. 9.* exinde, quod quaedam Collegia ita comparata, ut majoris partis decreto praecise stari debeat, adeo, ut nec societatem ineuntes, quamvis voluissent, aliter agere potuissent: Videtur tamen nec hujus positio, rationis Grotianæ esse exclusio, sed utrumque simul consistere posse, si quando in illis diuersitas quaedam admittenda.

Quam re-  
icit Cocce-  
jus.

Sed absque  
sufficienti  
ratione.

§. III.

Quare & olim, & hodie, nullum pene repertum Collegium, nec reperietur, quod non quodammodo hoc jus exercuerit, vel exerceat, de quo conf. Ludov. Gunth. Martini, in *Comment. forens. ad tit. 34. §. 1. n. 16. seqq. ad n. 34. p. m. 65.* Imo Imperii quoque nostri Rom. Germ. stylo id ipsum corroboratum: Imperator enim Matthias anno 1613. decreuit: Es sollen durch die particular Ursachen/ die gemeine Deliberationes billich nicht gehindert werden/ indehm erstlich (1) der Natur/ (2) aller Völcker Recht/ (3) der gülden Bull/ (4) denen Reichs Constitutionibus, und (5) dem richtigen Herkommen gemäß/ daß in deroglichen Berathschlagungen/ die maiora die wenigere an sich ziehen/referente Becker, *Synops. Jur. Imper. Rom. Germ. Lib. 4. Cap. 1. §. 13. p. m. 402. add. R. J. de anno 1512. §. 7. ibi:* oder der mehrer Theil aus ihnen. *R. J. de anno 1521. Ordnung des Regim. zu Worms §. 12. ibi:* und dem/ so durch den mehrern  
Theil

In omnibus  
pene obtinet  
Collegiis.

& in Impe-  
rio R. G.

Theil beschlossen wird / Folge thun. R. J. de anno 1542. §. 25. *ibi*: und was einhelliglich / oder mit dem mehrern Hauften beschlossen würde. R. J. de anno 1576. §. 98. *ibi*: und beyhm mehrern gelassen werden. nec non Limn. de Jur. Publ. Lib. 9. Cap. 1. n. 175. *seqq.* & 189. Auctor Anonym. des gründl. Berichts Cap. 11. n. 33. qui constanter allerit: daß in Reichs-Creyß-Stand-und andern Versamlungen / und Collegiis, in toto Imperio Romano, jederzeit in Sachen / so vor dieselbe mögten gehören / ad majora vota gegangen / und was also per majora geschlossen / pro decretis gehalten werde / wie alle Reichs-Creyß-und andere Abschiede / Statuta und Ordnungen ausweisen / auch männiglich bekand ist. jung. Carpz. de L. Reg. Germ. Cap. 10. Sect. 8. n. 14. p. m. 697. Just. Sinolt. Schürz Coll. Publ. de Stat. rei Roman. P. 1. Disp. 10. Th. 15. lit. A. Coclius ad Cicer. Lib. 8. Epist. 8. qui non immerito scribit: quod major pars judicarit, id ius ratumque esto. A quo non abludit Philosophorum Princeps, Polit. Lib. 4. Cap. 4. §. 30. *ibi*: quod pluribus visum, sit ratum, §. IV.

Nec obstat (1.) quod, ex mente quorundam, ponderandæ magis, quam numerandæ sententiæ, arg. L. <sup>Remouentur</sup> <sup>obstantia.</sup> 1. §. 6. *ibi*: sed neque ex multitudinæ Auctorum, quod melius & æquius est iudicatore, cum possit unius forsitan & deterioris sententia, & multas & maiores in aliqua parte superare, C. de V. J. E. Cz. P. 1. C. 27. D. 12. n. 1. Tabor in Barbos. locuplet. Lib. 17. C. 19. ax. 2. & iuxta notum fati dicterium, non quis, & quot dicant, sed quid dicatur, spectandum. Respondemus enim, hoc licet in thesi, in theoria, & quando de sola veritate eruenda agitur, admittendum, in hypothesi tamen, in praxi, & vbi de decisione negotii, ac exitu controuersiarum,

A 3

quæ.

quæritur, locum haud habere, conf. *supra* §. 2. rat. 3. Nec obstat porro (2.) vulgata illa Juris regula: quod ad omnes pertinet, ab omnibus approbari debet, c. quod omnes 29. de R. J. in 6to. Responderi enim ad eandem potest (a) distinguendo, an aliquid ad omnes pertineat ut *uniuersos*, an vero ut *singulos*, hoc casu d. cta regula locum habet, non *illo*: (b) regulam declarandam, quod ad omnes pertinet, ab omnibus, vel maiori parte, approbari debet. Joh. Wurmser. *Exercitat. Jur. Publi. Exerc. 7. qu. 7. p. m. 318.* Brunnem, ad d. c. 29.

§. V.

Quenam  
pars major  
censenda.

in electione  
P. R.

In Academ.  
Rostoch. juxta  
ta F. C.

Cum autem ipsius sit ciuitatis definire, quaenam maior sit pars in Ciuitate censenda, hinc haud mirum, diuersitatem hac in re determinanda, deprehendi. Juxta Concilium Lateranense sub Alexandro III. P. R. anno 1170. in electione Pontificis Romani, demum duae partes ex tribus, pro maiori parte habentur, c. 6. X. de Elect. v. g. si reperiantur in Conclauis, (quod iuxta c. 3. d. 1. in 6to. reseruato libero ad secretam cameram aditu, ita claudendum vndique, ut nullus illud intrare valeat, vel exire) praesentes 60. Cardinales, non sufficit aliquem esse electum à 35., sed requiritur numerus 40. Cardinalium: quod approbavit Pontifex Gregorius X. in c. 3. de elect. in 6to. 1. Joh. Limnaeus ad A. B. Cap. 2. §. 4. Obs. 1. p. m. 224. Valer. Andr. Desselius in *erotemat. Jur. Canon. Lib. 1. tit. 6. qu. 7.* Henr. Zoefius ad d. t. X. n. 87. Quid in Alma hac nostra obtineat, utroque Senatu ab inuicem dissentiente, quod scil. tunc in Iudicio, prout vocari solet mixto, non pluralitas, sed dualitas vocum attendenda, videri poterit in Formul. Concord. de anno 1563. §. Damit aber auch / vbi ita transactum: Damit aber auch dieses Anhangs/von den zweigen



gen oder streitigen decisionibus, des Ehrw. Concilii, und eines E. Rahts halben / kein Mißverstand einfalle / soll in solchem Fall der Zwenhungen / nicht die pluralitas votorum, oder der Stimmen / sondern allein die dualitas oder diuersitas vocum decisiuarum, seu votorum schlechts in acht genommen / und nach derselben wo die vorhanden / solch decisio für zweyg geachtet und gehalten werden : & ex illis, quae ad eandem Jurium Academicorum defensor ac interpres celeberrimus Ernest. Cothmann. *Respons. Jur. Academ. Resp. 39. n. 42.* in medium protulit : *Recte placuit, ut vota Academicorum pro uno, & similiter vota Legatorum Senatus oppidani pro uno habeantur, & super ea votorum dualitate Facultatis alicuius Juridicae censura audiatur. Si vero vel Academicorum aliqui Legatis Senatus Oppidani, vel horum nonnulli illis accedant, cessat dualitas, & vincit pluralitas.* H. J. Clarissimus Dn. Bœclerus, in *Dissertat. de Calculo Mineruae* egregium fore temperamentum aequitatis censet, si in odiosis duae, in fauorabilibus una sententia, ad constituendam partem maiorem requirantur : Verum hoc cum magis consilii sit, quam Juris, ipsis Legumlatoribus merito relinquendum censemus.

Bœcleri de hoc sententia.

Judicium de eadem.

§ VI.

Ceterum de eo, an votorum pluralitas in materia de Collectis Imperii attendenda, non semel actum inter ejusdem Proceres : Vbi tamen in re publice quidem agitata, sed nondum decisa, quatenus in *Instrumento Pacis Mon. Osn. art. V. §. 52.* ad proxima Comitia remissa, jung. R. J. *de anno 1654. §. 192. & 195.* merito iudicium nobis suspendendum, nec limites transgrediendi. Cont. Jo. Limnæus, *Jur. Publ. Lib. 1. Cap. 2. n. 7. Cz. J. E. Lib. 2. Def. 407.* Ita quoque in *Causa religionis, an voto-*

An votorum pluralitas in materia de collectis Imperii obtineat.

Judicium suspendendum.

an in causa religionis.

voto-

*Quod negandum.*

votorum admittenda pluralitas, acriter disceptatum constat: quamvis autem id utique negandum, vid. Instr. Pac. M. O. art. V. §. 9. & 52. jung. Cz. de L. Reg. Germ. Cap. X. Sect. 8. n. 4. sequ. Theodor. Reinkingk. de R. S. & E. Lib. 1. Cl. 5. Cap. 8. n. 69. Wurmser. Exercit. Jur. Publ. Ex. 7. qu. 7. p. m. 317. Just. Sinolt Schütz, de Stat. Rei Rom. P. 1. Diss. 10. Th. 15. l. 2. a. p. m. 686. vbi notat Philippi Magnamini, Hassorum Landgravii effectum; In fidei negotiis non esse considerandum, quid maxima pars opinetur, sed quid verum sit: exemplo Hierosolymitani conventus, vbi maxima pars, paucorum Apostolorum iudicio, quod rectum erat, cesserit, & obtemperauerit: Et quod ipsi Catholici confessi anno 1613. Man wüßte wohl / daß in Gewissens-Sachen die majora nicht gülten / lieffen solche vor, würden sie wissen / wohin sie ihren Recurs nehmen solten / die Catholische Religion und die Augspurgische Confession, wie auch der Religion Friede / seyen auf güttliche Vergleichung zugelassen / wieder dieselbe thäten majora nichts. Quin tamen cauere possit Magistratus, ne publice doceatur contra plurium sententiam, quam ipse pro vera habet, minus dubitauerit, qui exactius pensitauerit quæ habet Ziegler, & Henniges allegatis supra §. 2. p. 4. locis, conf. Burgoldenl. ad Instrum. Pac. Part. 2. Discurs. 19. membr. 3. p. m. 173. H. Grot. in opere posthumo de Imp. Summ. potest. circa Sacr. Cap. 4. n. 6. p. m. 76. Alios casus, in quibus non volunt attendi pluralitatem, vide sis enumeratos a Bertram. de Comit. apud Arum. de J. P. Vol. 1. Disc. 9. Th. 73. A Limnæo in J. P. Lib. 9. Cap. 1. n. 182. tredecim enumerantur causæ, in quibus maioribus non esse locum, sunt qui putant: De huius tamen assertionis veritate, non sine ratione dubitat Just. Sinolt Schütz,

*Alii casus excepti a regula, remissive.*

*Judicium de iisdem.*

Schütz *de Stat. rei Roman.* P. I. *Diss.* 10. *Th.* 15. *lit. a. p.* m. 687. cum regulae quae majora requirit, tamdiu sit inhaerendum, donec doceatur exceptio.

§. VII.

Sed missis his, non iniucundum fore antiquitatum studiosis credimus, si hac occasione subiunxerimus, antiquis vsitatum in colligendis suffragiis morem, arg. §. 1. *J. de T. O.* jung. *Disputat. celeberrimi Dn. Christ. Thomasiae de primis initiis successionis testamentariae apud Romanos*, Halae anno 1705. habita, qui vsum illius hunc affert, in sterili materia, specimen industriae ostendere. Quamuis constet studium antiquitatis haud omnibus arridere. Et quidem hac in re potissimus tabulae ceratae fuit vsus, (quae eapropter adhibenda, quod papyrus, seu charta, tunc temporis nondum inuenta, vid. *Salmuth. ad Panciroll. rer. memorab. Lib. 2. Cap. 13.* *Alex. ab Alex. Genial. dier. Lib. 2. Cap. 30.* *Cardan. de rer. varietat. Lib. 13. Cap. 64.*) in quam stylo literas infigebant, quem egregie depingit *Joan. Sceffer, Profesi. Vpsaliens. celeberrimus, in Libro singulari de stylo Cap. I.* & auctor *Anonymus, qui tamen Harsdörfferus, Patricius Noricus, ab aliis creditur, in Teutschen Secretario.* Erant autem tabulae variorum generum, v. g. venditionis bonorum, nuptiales, votivae, testamentorum, publicae, privatae, rationum, dati, expensi. &c. de quibus latius consuli poterit *Barnab. Brisson. de formul. Lib. 2. p. m. 133. seqq. cont. novae tabulae, quas sub nomine Agrippae Liberatoris in lucem emisit doctiss. Scheffer in integra quadam Dissertat. hac de re edita.* Harum quoque tabularum ceratarum vsus non exiguus cernere erat, ad colligenda suffragia, vbi, teste *Rosino Antiquit. Roman. Lib. 9. Cap. 24.* & auctore *de Magistrat. Reip. Ro-*

*De more antiquorum in colligendis suffragiis.*

*per tabulas.*

*quae varia.*

*Earum quoque vsus in colligendis suffragiis.*

B

man,

*man*, qui adjectus tractat. Jo. Sarii Zamosci, *de Senat.*  
*Vbi tabella Roman. aphor. 185. seqq. p. m. 614.* causa perorata Prae-  
*triplex.* tor Judicibus tabellam ceratam triplicem dabat, absolu-  
 toriam scilicet, condemnatoriam, & ampliatoriam. *Absolu-*  
*toria* habebat insculptam Literam A. quam exinde Ci-  
 cero *pro Milone Sect. 15. Col. m. 769.* salutarem vocat lite-  
 ram : *Condemnatoria* C. quam ea propter tristem vocat,  
 notam Cicero *d. l. Liuius* tristiore notam, teste E-  
 rasmo. *Adag. Chiliad. 4. Cent. 10. adag. 85. & Chi. 1. Cent. 5.*  
*ad. 56.* *Ampliatoria* vero N.L. literas habebat insculptas,  
 quibus significabatur, Non Liquere : de quo vid. *L.*  
*13 §. ult. ff. de recept. & qui arb. rec. L. 36. ff. de re judic.*  
*Gothofred. ad Ciceron. in Q. Cecinn. diuin. Sect. 24. Lib. 9.*  
*Col. 65.* id quod latius deducit Budaeus, *in adnotat. do-*  
*ctiss. ad L. 2. ff. de O. J. fol. m. 32.* Isidor. Hispal. Episc.  
*Etymol. Lib. 1. Cap. 3. col. 810.* A. Gell. *N. A. Lib. 14. Cap. 2.*  
*circ. fin. p. m. 508.* Jo. Ferrariens. *Montan. Process. Judic.*  
*P. 1. Lib. 3. Cap. 2. p. m. 177.* Barnab. Briffon. *de formul.*  
*Lib. 5. p. m. 480.* vbi id variis praeterea illustrat exem-  
 plis, adjecto pronuntiandi ritu : quod tamen hodie non  
 amplius vult obtinere Hieronym. *Treutl. Select. Dissut.*  
*Vol. 1. Diss. 12. Th. 17. lit. d. & ex illo Ventur. de Va-*  
*lent. seu Wynther, in Parthen. litig. Lib. 1. Cap. 12. n. 25.*  
*p. m. 185.* Harum ergo tabellarum unam in cistam, seu  
 urnam mittebant, quae triplex, *Senatorum* vna, altera  
*Legum ferendarum* *equitum*, tertia *tribunorum*. Legum autem ferendarum  
*causa duae* causa, duae saltem dabantur tabulae, altera literis V. R.  
*saltem ta-* i. e. vti rogatis, altera litera A. i. e. antiquo, in hunc fi-  
*bella.* nem notata, Vinnius, Bachov. aliique *Interpp. ad §. 4. J.*  
*de J. N. G. & C.*

*Legum ferendarum*  
*causa duae*  
*saltem ta-*  
*bella.*

*Origo a Grae-*  
*ois.*

§. IIX.

Natales quod spectat moris hujus, videtur illos de-  
 bere

bere Græcis , a quibus alia quoque, imo ipsas Leges mutuati Romani, apud quos duplicis *calculi* vsus, *ater* scil. & *albi*, quorum *hic* absolutorius, *ille* condemnatorius, & proin duplex quoque urna, qua de re Dilherr in *Arcopag.* §. 28. Athenienses in urnam *ligneam*, quæ *ἰλεύς*, & *æneam*, quæ *θαυάρις* appellabatur, *illam* absolventium, *hanc* condemnantium, calculos mittebant, e marinis conchis factos, quorum albi integri, absolutionis, nigri perforati, damnationis erant, vid. Suidas *voc.* *ψῆφος* & Quid. *Metamorph.* Lib. 15. *tab.* 1.

Apud quos  
calculi vsus.

Mos erat antiquis, niueis, atrisque lapillis,  
his damnare reos, illis absolvere culpa.

Colorum enim ater, infelicissimi habebatur ominis, albus autem felicitatis gerebat notam: quod inde satis innuunt prouerbia, album addere calculum, quod idem, ac voto assurgere, atro notare calculo, nigrum præfigere θ. & quæ id genus alia, de quibus Erasmus in *adagijs* passim. Sic si cui omnia ex animi sententia proueniebant, albæ dicebatur gallinæ filius. Et si Plinio *Histor. natural.* Lib. 7. *Cap.* 4. fides habenda, a Thracibus iste profluxit mos, vid. Wilhelm Possard. *de Atheniens. Magistrat. eorumque cum Rom. Gall. Venet. & Turc. comparat.* *Cap.* 12. *p.* m. 492.

Quamuis apud Græcos *testarum* quoque, siue testularum non infrequens fuerit vsus, quarum etiam mentionem iniicit tersissimus latinitatis Auctor Corn. Nepos, Græci *ὄστρακον* appellitant, vnde *Ostracismus*, nihilque erat aliud, quam testarum in urnam injectio, quibus mediantibus aliquis in exilium, citra tamen ignominiam, ad certum mittebatur tempus, qua de re integram concinnauit *Dissertatiunculam* Bœclerus, conf. Ludov. Septal. *de rat. stat.* Lib. 4. *Cap.* 6. *seqq.* Præterea nec *fabarum* vsus Græcis, aliisque gentibus, in hac re ignotus, *ac fabarum.*

Vt & testa-  
rum.

vid. Alex. ab Alex. *gen. dier.* Lib. 4. Cap. 11. fol. m. 208.  
 Laurent. Grimal. *de optim. Senat.* Lib. 1. p. m. 119. Wilhelm  
 Poffard. *de Atheniens.* Magistr. Cap. 8. p. m. 476. & d. Cap.  
 12. p. m. 493.

§. IX.

Suffragii  
 vox unde.

Hodie vota  
 dicuntur.

Lex  
 tabellaria  
 de suffragiis

Alias quoque *Suffragii* nomen adhibetur, quam  
 vocem *Glossa ad L. vn. C. de suffrag.* a fragore, i. e. sono  
 deducit, quo de Duarenus, *in Comment. h. t. p. m. 895.* qui,  
*quid velit Accursus,* inquit, *nescio, nisi intelligat sonum pe-*  
*cuniae, qui Causidicis nostri temporis admodum gratus esse so-*  
*let.* Jo. Sichard. a suffraginibus, (quæ sunt id in anima-  
 lium pedibus posterioribus, quod poplites in homini-  
 bus) deriuat, *ad rubr. d. 1. n. 2.* erroris glossam incusan-  
 do, quam tamen defendit Becman. *Orig. Voc. fragor.* &  
 ex illo Tabor. *tractat. Synopt. de Suffrag. peric. 2. n. 4. p.*  
*m. 129.* Hodie plerumque *votorum,* seu *vocum,* Stim-  
 men venire nomine, notius, quam ut pluribus probe-  
 mus. Illud potius adiciemus, quod quamuis olim suf-  
 fragia maxime votis & voce fierent, Lex tamen Tabel-  
 laria, (a Gabinio primum, teste Cicerone *in Bruto,* seu  
*de Clar. Orator. Sect. 136.* deinde a L. Cassio) lata, de  
 suffragiis libere ferendis, non voce & aperte, sed tabel-  
 la, ceu interpretatur Nizolius *in thesaur. Cicer.* Cujus  
 Legis passim iniicit mentionem Cicero, *in Orat. pro Luc.*  
*Placc. Sect. 99. de LL. Lib. 3. Sect. 35. & in Lelio, s. de ami-*  
*cit. Sect. 41.* vbi Hieron. Wolf. *in accuratiss. Comment.*  
*col. m. 63.* add. Bud. *ad L. 2. ff. de O. J. fol. m. 67. Lit. C.*  
*& ad L. ult. de Senator. fol. m. 68. Lit. G.* nec non in *Part.*  
*2. ad tit. de pæn. fol. 244. Lit. J.* Lex autem hæc tabella-  
 ria lata imprimis, ut ambitus inhiberetur, cum Candida-  
 ti scire nequirent, quorum suffragiis adiuti, aut destituti  
 essent, & ne aliis libertas suffragandi, autoritate COSS.  
 aut

aut alterius cuiusdam potentis, præriperetur, quod non raro fieri, animaduenterunt Politicorum filii. Quis hoc die apud Venetos calculos colligendi mos sit, videre est apud Caspar. Contaren. *de Republ. Venet. Lib. 1. p. m. 118. seqq.* & B. Bonitacium apud eundem *Lib. 5. p. m. 257. seqq. ue.* nec non Donat. Jannotium, *de Republ. Venet. p. 118. seqq. & p. 159.* vbi in notis Nicol. Crassus icone accuratissimo rem repræsentat, *p. m. 406.*

*Apud Venetos calculos colligendi mos, remisistiue.*

§. X.

Tabulæjam istæ de quibus hæctenus, in urnam immisissæ, vel *pares* deprehendebantur, vel *impares*: *Imparibus* existentibus, vel absolutio subsequebatur, vel condemnatio: *Pares* si tabulæ, controuersia facile oriebatur, cum qui vltro velit cedere, rarus sit, & poterant hic facile Judicum animi in diuersum trahi, vti adhuc ire in diuersas sæpius partes, quotidiana testatur experientia, id quod in primis contingere in ambiguis, rebus dubiis, & pro amico, vti appellitari amant, casibus, in propatulo est. Dicto autem iam casu quid statuendum, non conuenit inter *Dd.* sunt qui præualere Juris volunt rigorem, alii æquitati potius esse litandum: Imo non desunt ex viris etiam primæ Classis, & decumanæ autoritatis, qui heic nihil agi volunt, quam etiam assumit sententiam *Dn. Coccej. in d. Dissertat. Sect. 2. §. 10. p. 39.* Non est absolutus, inquit *M. Ann. Seneca excerpt. controu. Lib. 3. Contr. 2. p. m. 801.* parricida, sed dubius. *Si pares*, verba sunt Magni illius Grotii *de J. B. & P. Lib. 2. Cap. 5. §. 18. sicut sententia, nihil agetur: quia ad mutationem non satis momenti est.* Nisi velimus dicere Grotii esse mentem, nihil agi ratione condemnationis, sed respectu Rei, manere eundem in pristino libertatis statu. Ex Grotio iisdem hæc prorsus verbis in suum *de Jur. N. & Gent.*

*Tabule vel pares vel impares.*

*Si pares tabule quid statuendum velint.*

*Sunt qui asserunt nihil agi.*

Quid in Co-  
mitiis Imper.  
nostri obti-  
neat.

Jus parium  
tabularum  
unde.

Quomodo  
describatur.

Calculus  
Minervæ  
quis.

Origo calcu-  
culi Miner-  
væ.

vastissimum opus retulit Sam. Pufendorf. *Lib. 7. Cap. 2.*

§. 17. Quod ipsum si quando ad Comitium Imperii nostri  
velimus referre, si inter Cæsarem & Ordines, vel maio-  
rem eorum partem res coire non potest, tunc itidem  
nihil actum judicatur, vid. Tob. Paurmeister, *de Juris-  
dict. Imper. Roman. Lib. 2. Cap. 2. n. 31. p. m. 347. seqq.* Dan.  
Otto, *in dissert. de Jur. Publ. Imp. R. G. Cap. 13. p. m. 345.*

Cum tamen maxime sit e re Civitatis, vel hic aliquid agi,  
idcirco jus fuit introductum parium tabularum, quod  
ab Erasmo Rotterodamo *Chiliad. 3. Cent. 6. adag. 76. voc.*

*æquales calculi*, ita depingitur, æquales esse Calculos,  
quando parum abest, vt condemnetur aliquis, & tamen  
absolvitur, aut cum nutat animus, ambigitque vtram  
in partem se flectat, rationibus hinc atque hinc velut  
ex æquo adhortantibus, ac deterrentibus. Metapho-  
ra, teste Suida, desumpta, a prisca consuetudine judicio-  
rum, qua reus æqualibus Judicum sententiis absolue-  
batur, at non citra periculum. Vt igitur tutissime li-  
beratur a causa, qui calculis omnibus absolvitur, ita  
periculo proximus fuisse videtur, qui paribus calculis,  
seu quasi favore quodam, elabatur: Nec id tantum in  
Criminalibus, sed & in Civilibus obtinet. Imo cum in  
omni deliberatione necessum omnino sit, vt in certam  
quandam abeat sententiam, idcirco cui in dubio ad-  
hærendū, non quidem in hac præsentē, sed subsequente  
Dissertat. speciali, curatius aliquantulum erit introspeci-  
endum. Hac vice saltem, in generalioribus cum verse-  
mur, notamus, Græcos hoc vocare *Calculum Minervæ*,  
quando paribus numero suffragiis, Reus a pœna crimi-  
nis liberatur. §. XI.

Originem proin, ipsam vt aggrediamur rem, Le-  
gis huius, siue consuetudinis, ( vtroque enim passim  
nomine



nomine venit) qua absolutio paribus existentibus tabulis obtinet, ne hanc intactam reliquisse videamur, quod attinet, Minerua a Græcis repertrix illius laudatur, fabula sequente: Fertur Clytemnestram, Agamemnonis vxorem, maritum reducem, ope adulteri Ægisti intermisisse, idemque fatum Orestis puero imminuisse, nisi Electra Soror eundem clam seruatum educari curasset. Hunc ergo adultum, Patris necem, occisa cum Ægisto matre, vindicasse. Huius parricidii nomine, cum accusantibus furiis, iudicantibus Areopagitis, in Areopago causam diceret Orestes, damnantesque vno suffragio vincerent, hunc Athenas profugisse, & a Minerua supplicem impetrasse, vt illa suum calculum absoluentibus apponeret, eoque ipso, quem maiora antea vota condemnauerant, paria iam vota absoluisse. Dn. Coccejus *d. Dissert. Sect. 2. §. 8. p. 37. seq.* Vnde & nomen calculi Mineruæ inditum, certo certius sunt qui volunt constare, quo de vid. Bœcler. in peculiari quadam dissertatione. Interim non desunt, qui hoc parium tabularum Jus, ex longiori inualuisse tempore, statuunt. Inter quos Augustin. *de Civitat. Dei Lib. 18. Cap. 10.* qui ex Varone refert, Martem homicidii reum factum, duodecim iudicantibus Diis in Areopago, (qui erat Vicus Atheniensium, a templo Martis sic nominatus, vbi primum iudicium capitis actum fuisse scribit Plin. *hist. nat. Lib. 7. Cap. 56. p. m. 344.* cont. *Diction. Histor. Geograph. Poët.* Caroli Stephan. *col. 301.* Vnde Iudices seuerissimi dicebantur Areopagitæ, qui de causis capitalibus tanta integritate pronuntiabant, vt noctu, non interdum iudicarent, ne quid menti persona Rei officeret: Oratores porro in hoc iudicio iuebantur dicere ἀνευ ἀγορευμάτων, ἢ ἡμῶν. Buno *ad Cluuer. Introduct. Geograph. Lib. 4. Cap. 8. §. 3. n.*

Nonnulli jus parium Tabularum longius deriuant.

Areopagus quis.

De Areopagitis notabilia.

§. 3. n. 6. p. m. 381. Ex his quoq; erat Dionysius ille, cuius *Actor. XVII. 34.* iniicitur mentio) sex sententiis esse absolutum, (adiecta ratione, quia ubi paris numeri sententiæ sunt, præponi absolutio condemnationi debeat,) indeque descendisse nomen Areopagi, (cuius alias originem Soloni, quamvis dubitanter, adscribit Plutarchus *in vita Solon. Cap. 28. sequ.* Alex. ab Alex. *Genial. dier. Lib. 3. Cap. 5. Lib. 4. Cap. II. fol. 205. in fin. & Lib. 6. Cap. II. & tribunal depingit Wilhelm. Possard. de Athen. Magistrat. Cap. 25. p. m. 534. seqq.* conf. Budæus *ad ff. fol. 67. seqq.* ubi plura de hoc Judicio egregia in medium profert) quod Mars inibi primum subierit iudicium, cum occidisset Aliochotim Neptuni filium, quod vim intulisset Alcippæ Martis filia, uti ex *Lib. 1. Hellan.* refert Suidas voc: ἀρεῖα πᾶσι. Meminit quoque illius Demosthenes in *Orat. καθ' ἀριστοκράτους*, & ex illo Wilhelm. Possard. *de Athen. Magistr.* *Cap. 25. p. m. 534. seqq.* conf. Natal. Comes *Mytholog. Lib. 2. Cap. 7. p. m. 161.* nec non Pausan. *Attic. Lib. 1.* addatur Ludou. Viues *ad August. de C. D. Comment.* loco supra dicto, & Iuuenal. *Sat. 9.* qui inde Curiam Martis vocitat. Quamvis in aprico sit, istiusmodi tabulas sæpius confundi.

§. XII.

Quod autem Legis huius (de qua vid. §. præced. ab initio) a Minerua, ex plerorumque sententia, repetatur origo, videtur etiam fieri sapientiæ, prudentiæ, & summæ potestatis respectu, cum singularis merito habeatur sapientiæ, prudentiæque res, Jus scribere, reddere, & æquitatis habere rationem. Fingitur autem Minerua iudicio præfuisse Areopagitico, sicut Principes, & summi rerum arbitri solent, quos vel maxime decet, suæ autoritatis momento, rigorem Juris in mitiorem

Vnde plerorumque a Minerua Legis repetere originem dici possit.

rem deducere partem, Legumque moderandarum oc-  
 casiones prudenter arripere, benignitate demum &  
 clementia Imperii potestatem temperare, cum tali ra-  
 tione recte dicantur Dii: vti philosophatur in *Para-*  
*phrasi Ps. LXXXII.* Bœcler. nec non in egregia *Dissert. de*  
*auspicio Regio.* Jung. Lipsius *monit. & exempl. Polit. Lib.*  
*2. Cap. 12. p. m. 148. sequ.* Senec. *de Clement. Lib. 1. Cap.*  
*22. in fin. & Lib. 2. Cap. 7.* Ceterum Calculus Mineruæ  
 non vno loco venit Legis nomine apud Classi-  
 cos Autores, M. Fab. Quintilian. *Declam. 254. p.*  
*m. 263. ibi: Lex iubet eos absolui, qui pares sententias tuler-*  
*int: & p. p. non ego arguo hanc Legem, sed dico esse commu-*  
*nem: it. habet beneficium Legis. Miraris, verba sunt M.*  
*Ann. Senec. Excerpt. Controv. Lib. 3. Controv. 2. p. m. 801.*  
*in hac civitate misericordiam, in qua Lex absolutionem dat*  
*paribus tabulis: & p. p. absolutionem Legi, non innocentia*  
*debes. Legem præterea vocitat Dionys. Halicarn. Lib.*  
*7. Cap. 59. in historia condemnati Cariolani, ibi: abso-*  
*lutus pari sententiarum numero, sicut Lex iubebat: Sic*  
 enim rectius *κατὰ νόμον* fit interpretatio, quam si cum  
 Sylburg. legamus, *legitime fit*: quamvis & illud non ma-  
 le. in Jure nostro legitime fieri dicatur, quod fit se-  
 cundum Legem scriptam, vti exempla passim occur-  
 rentia, v. g. in *L. 7. §. 1. ibi: Legitimo modo ff. de Curat.*  
*furios. L. 8. §. 1. C. de inoffic. testam.* ignorare haud sinunt.  
 Interim nec is aberrauerit, qui consuetudini hoc ad-  
 scripserit, ex verbis Augustini antea allatis §. 11. cum  
 consuetudo præjudicatis munita, Lege quandoque con-  
 firmari sueverit.

*Vbi veniat  
 Legis nomi-  
 ne C. M.*

§. XIII.

Huius porro seu Legis, seu consuetudinis intro-  
 ducendæ, plures sunt rationes, quibus moti pro Reo  
 C potius

*Legis hu-  
 jus introdu-  
 cendæ rati-*

ones quæ-  
nam addu-  
cantur.

potius, quam pro actore pronuntiandum, ius fasque esse credidere Dd. Princeps Philosophorum *in problemat. Sect. 29. qu. 13.* hanc format quæstionem, cur si suffragia pari numero accusatori & Reo fuerint, reum vincere sit sancitum? prolixiusque inibi respondet.

*Intra ratio.*

Nos in summam quandam argumenta redacturi, ex illis quæ in medium tam a Philosopho, quam ab aliis sparsim prolata, notamus (1) quod actor paratus, instructusque ad agendum accedere possit, imo quod magis, teneatur, *L. 42. in fin. ff. de R. J.* ibique Dd. communiter, & Sturcius ad *d. l. p. m. 234.* - - at actor non nisi perpensis rebus ad arma vocat.

Reus autem non æq; : imo huic tanquam coacto, & ignoranti, quænam sit allaturus aduersarius, ad respondendum accedendum, proinde omnia difficiliora. Vnde & LL. quondam salutariter constituerunt, ut prius admonetur Reus ab actore, *Gambf. ad Barbos. Locc. Comm. Lib. 1. Cap. 24. axiom. 15. Brunnem. Process. Civil. Cap. 2. n. 2.* ibique allegat. Id quod tamen haud obseruari ipsa testatur praxis, neque denunciatio necessitatis amplius, sed utilitatis saltem est, vid. *Hopp. Comment. J. ad §. 15. de action. verb. nulla enim hoc tempore. Brunnem. d. C. 2. n. 2.* Ex hac quoque ratione factum procul dubio, quod longiores, & plures reo, ad se defendendum dilationes sint datæ, quam actori ad actionem motam prosequendam, *Euerh. Bronchorst ad L. 42. ff. de R. J. p. m. 121. per L. 6. §. 1. C. de tempor. in integr. restitut. ibiq; Brunnem. n. 8. L. 10. ff. de fer. & dilation. Ratio in L. 5. §. 6. ff. de dol. mal. & met. except. j. L. 2. C. de dilat. & ad utramque L. Brunnem. ibique citat. Hinc apud antiquos quoque obseruatum legimus, quod accusatori hora ad accusandum*

dum

dum, Reo contra bihorium ad defendendum fuerit præscriptum. Præterea ex parte Rei defensionis versatur æquitas, ex parte actoris solus rigor habet locum. Accedit quod actore non probante, reus, & si nihil præstiterit, i. e. nullas suæ defensionis probationes exhibuerit, absoluendus veniat, per LL. & Dd. largissima manu adductos a Gambf. *ex analectis Tabor. in Barbos. Locc. Comm. Lib. 1. Cap. 24. ax. 7. p. 52.* cum nihil sit æquius, quam neminem condemnari nisi conuictum, & qui conuictus non fuerit, absolui. *L. negantes 9. C. de O. & A. conuincendus ergo Reus prius ab actore, Perez in tit. C. de edend. n. 11. Zæf. Comment. ad ff. de except. n. 21.*

§. XIV.

(2.) quod in ambiguo tutius sit absoluere nocentem, quam condemnare innocentem, *L. 5. pr. ff. de pæn. j. L. 47. ff. de O. & A.* cum proniora sint Jura ad absoluendum, quam damnandum, *c. ex literis 3. X. de probat. vbi Viuian. in Ration. conf. omnino can. alligant. 12. Caus. 26. qu. 7.* vbi hæc notabilia sunt verba: *nonne melius est propter misericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem: Vis apparere sanctus, circa vitam tuam esto austerus, circa alienam benignus.* Cuius fundamentum, rationem, & declarationem pandit Gambf. *ex anal. Tabor. in Barbos. thes. Locc. Comm. Lib. 1. Cap. 4. ax. 3. & 7. conf. Christoph. Philip. Richter Centur. Regul. Jur. reg. 93. p. m. 262.* Hinc Cicero *pro Sext. Roscio §. 56.* vtilius absoluere innocentem, quam nocentem causam non elicere. Statuuntque Ddres Judicis officium in absoluendo exuberare debere, Decius *in L. favorabiles 125. ff. de R. J. & curiam majorem honorem in absoluendo consequi, quam condemnando, dedu-*

cit *Decius Conf.* 185. col. vlt. *Alciatus Presumpt.* 44. n. 4.  
*III<sup>ta</sup> R.* vers. *sed tu adde &c.* hanc addit rationem (3) quod  
actor, qui agit aduersus reum, reuera eius delictum,  
vel culpam seu noxam arguat, citra quod Reus alias  
non compelleretur sustinere iudicium: cum autem nec  
culpa nec delictum præsumatur, vult sequi dicendum,  
pro ipso reo stare præsumtionem. Præterea vrgent  
*IV<sup>ta</sup> R.* (4.) quod rei conuenti partes, præ partibus actoris sint  
favorabiliores, quod non tantum in Criminalibus, sed  
ciuilibus etiam obtinere euincit *Bronchorst* *ἐναυτιοφασν.*  
*Cent.* 4. *adsert.* 98. per *l. absentem* 5. ff. de *Pæn.* & *L. qui*  
*accusare* 4. C. de *edend.* qui ad casus, in contrarium pro-  
ferri suetos vberius respondet: Distinguendo scil. in-  
ter litis principium & exitum: facta applicatione, quod  
in constituendo seu ordinando Iudicio, plus fauendum  
Actoribus, quam Reis, verum in exitu iudicii, & deci-  
denda lite, plures sint rationes, propter quas Rei cense-  
antur favorabiliores actoribus, nisi hi fortean fauora-  
biliorem foueant causam, qualis libertatis, matrimo-  
nii, &c. conf. *Conrad. Lagus Method. Jur. Ciu. P.* 5. *Cap.*  
30. n. 9. p. m. 863. quocum etiam consentit *Camerali-*  
*um scriptor* satis probatus *Andr. Gail. Obs. Pract. Lib.* 1.  
*O.* 31. n. 12. ibique citatus *Azo in summa ff. tit. de reb. dub.*  
vers. *illud autem constat* 4. col. m. 1215. *Menoch. A. J. Q.*  
*Lib.* 1. *qu.* 80. n. 62. *Carpz. P.* 1. *Decis.* 41. n. 16. exinde,  
quod propter defensionem multa admittantur, quæ re-  
gulis Juris alias contrariari videantur, j. *idem Pr. Crim.*  
*P.* 3. *qu.* 115. n. 74. sequ. ita vt etiam vnicus testis pro  
reo admittatur, vel de credulitate deponens, *Joseph.*  
*Mascard. de probat. Libr.* 1. *Concl.* 491. n. 17. 18. *Prosp. Fa-*  
*rinac. Pr. Crim. Libr.* 2. *tit.* 6. *qu.* 63. *Cap.* 1. n. 42. & *Lib.*  
3. *tit.*

3. tit. 7. qu. 68. §. 2. n. 77. sequ. Felin. in c. quoties 5. X. de testib. n. 8.

§. XV.

Accedit (5.) quod in causa dubia, quando pares ad- *Vta ratio.*  
 sunt probationes, reo potius quam actori deferatur,  
 iusiurandum, Menoch. A. J. Q. Lib. 2. Cent. 2. Cas. 190.  
 n. 19. Georg Franzk. ad tit. de iurejur. n. 132. seq. Brun-  
 nem. ad L. 31. ff. de iurej. n. 3. Humanæ demum (6.) *Vita R.*  
 rationi conueniat fauere miserioribus, & prope innocen-  
 tes dicere, quos absolute nocentes pronuntiare non  
 possimus, Zœl. in Comment. ff. de re iudicat. n. 20 (7.) *VIIma R.*  
 reus de damno agat vitando, vt ita ei vel hoc quoque  
 nomine plus fauendum, L. Proculus 26. ff. de damn. in-  
 f. ct. Bronchorst ad L. non debet 41. ff. de R. J. Christoph.  
 Philip. Richter de Jur. & priuileg. Credit. Cap. 7. n. 77.  
 p. m. 551. Posset quoque Legis huius æquitas quam fa- *Accedente*  
 cillime ex notissima illa deduci hypothese, qua pars tu- *æquitate.*  
 tior semper præponderat: tutius autem omnino reum  
 absoluere, cum semper repeti ad pœnam possit, quam  
 condemnare, vbi restitutioni in integrum nullus da-  
 tur locus. Hinc plures videmus LL. vel in vnico ff. tit. *LLbus.*  
 de R. J. huic fauere sententiæ: v. g. Vlpian. in L. 9 sem-  
 per in obscuris quod minimum est, sequendum vult. Ga-  
 jus in L. 56. in dubiis benigniora semper præferenda, cen-  
 set. Paul. in L. 163. rapiendam occasionem esse, quæ  
 præbet benignius responsum. Marcell. in L. 192. §. 1. in  
 re dubia benigniorem interpretationem sequi, non mi-  
 nus iustius, quam tutius statuit. Paul. in L. 155. §. 2. in  
 pœnalibus causis vult benignius esse interpretandum.  
 Quæ abunde satis testantur, & LL. veritati sententiæ  
 huius fauere, quemadmodum & illi accedit Eichelius

*Et ratione  
generali.*

(alios Interpp. Regul. Jur. qui doctissimi prostant, silentii ut inuoluamus populo) qui in prædictarum Legum rationem doctissime & accuratissime inquirat, *Comment. ad Reg. Jur. Cap. 2. p. m. 96. seqq.* Ceterum ratio generalis, qua maxime videtur niti regula illa, petenda ex axiomatico Ethico: minus malum respectu majoris, bonum; in dubio cum ea capienda interpretatio, ne quis censeatur deliquisse, arg. *L. si. pr. ff. pro soc. add. L. 25. ff. de LL.* nec tantum obtinet hæc ratio in delictis, & Judicium sententiis, sed in contractibus quoque, aliisque pluribus, conf. Euerh. Bronchorst *ἐναρτισία*, *Cent. 4. assert. 99. p. m. 387.*

§. XVI.

*Transitus  
ad specialiora  
remissio.*

*Quid paribus  
existentibus  
tab. de ac-  
cusatore sta-  
tuendum,  
propter in-  
scriptionem  
in crimen.*

*quæ quidem  
hodie subla-  
ta.*

Verum satis, & nimis forte prolixè, in rationes hujus Legis hætenus inquisitum. Spectandum iam, quid in specialioribus etiam casibus, calculorum & tabularum hæc operetur paritas: Vbi itidem sunt, qui putant nihil hic agi, prout iam supra monitum §. 10. Atamen pares tabulas sæpissime circa decisionem casuum omnino aliquid afferre momenti, ex illis quæ in *Dissertatione* sequente posteriori, *specialiora continente*, adducuntur, luculentius apparebit. Vnicum adhuc in tractatione hac generaliori examinabimus, quidnam scilicet paribus existentibus tabulis, votis, ac suffragiis, in causa Criminali de accusatore statuendum, qui subscribere in principio litis tenebatur, & sic in casu succumbentia summum incurrebat discrimen, *L. 3. §. 2. & L. 7. pr. ff. de accusat. L. 1. C. ad Scutum Turpillian. L. 17. C. de accusat.* Vbi quidem constat, pœnam talionis, & inscriptionem in crimen hodie sublatam, Matth. Stephani *ad C. C. C. art. 12. n. 3. Cz. Pr. Crim. qu. 106. n. 41.*  
Stryk.



Stryk. *V. M. ff. tit. de Procurat. §. 4. & Dd. communiter.* *In ipsius ta-*  
 Cum tamen in ipsius locum successerit cautio de ex- *men locum*  
 pensis, & quod accusator ratione illatae iniuriæ satisfi- *successit*  
 ctionem præstare velit, vel si illa præstari ne- *cautio &c.*  
 queat, arrestum vel incarcerationio, C. C. C. art.  
 12. Quæstio proposita hodie quoque aliquem præ- *Vnde quæstio*  
 stare posset usum. Et quidem dicto casu futurum, *nec hodie in-*  
 ut accusator aut infamiam, aut pœnam ex Lege su- *utilis.*  
 stineat, ex illis videri posset statuendum, quæ affert  
 M. Fab. Quintilian. *Declamat. 331.* qui capitis accusaue-  
 rit, neque damnauerit, ipse capite puniatur. In-  
 spiciatur tota Declamatio, hac de materia cum agat.  
 Videtur tamen potius dicendum, quod paribus exi- *Ad eandem*  
 stentibus tabulis, accusator neutiquam vel infamiam *resp.*  
 incurrat, vel pœnam, consequenter nec hodie ad re-  
 futionem expensarum, vel vllam satisfactionem te-  
 neatur, vid. C. C. C. art. 201. Liceat hoc itidem ver-  
 bis exprimere iam laudati Declamatoris, *Declamat. 254.*  
*p. m. 262.* *Absolutus est quidem Reus, sed innocentem se*  
*esse, accusatori nondum persuasit: & p. p. interrogemus*  
*partem Judicum, fuisse aliqua dicent, quibus Judex mo-*  
*neretur, illa quæ tot tristes sententias effecerunt. Et Se-*  
*neec. excerpt. Lib. 3. Contr. 2. quæris, quam multis non place-*  
*as? Si unum adiecero, parricida es. Vti ergo plene quis*  
 absolutus dici nequit, ita nec acufator pœnam Lege  
 definitam, nec hodie aliud incommodum incurrere  
 poterit: quamuis præmio deistituatur, quod Reo *Premio de-*  
 condemnato indeptus fuisset, de quo vid. Alex. ab A. *stituitur.*  
*lex. genial. dier. Lib. 14. Cap. 22. Salmuth. ad Panciroll.*  
*de nov. repert. L. 2. 1. 2. Brisson. Select. ex Jur. Ciu. an-*  
*tiquit. Lib. 3. Cap. 17. col. m. 96. Idem obtinet in cri-*  
 mine *Quod etiam*  
*hodie locum*

babet in cri- mine Dardanariatus iuxta *Ordinat. Politic. de anno 1577.*  
 mine darda- *tit. 18. §. und nachdem vermöge. 8. ibi: einen vierten*  
 nariatus. *Theil zugestellet. Nec est quod quis forte obten-*  
*dat corruptum Judicum iudicium, cum*  
*ab altera parte eadem suspicionis ob-*  
*ueniat causa.*

## TANTVM.

### THESES QVÆDAM JV- RIDICÆ.

- Th. I. **T**ertius possessor, actione hypothecaria conuen-  
 tus, illi cui specialis hypotheca constituta, non  
 potest opponere exceptionem excussionis, *L. 14.*  
*C. de pignor. Nov. III. c. 1. vers. ab hoc autem. Berlich.*  
*P. 2. C. 24. n. 67. Brunnem. ad L. ult. C. de O. & A. n. 3.*  
*& C. 1. D. 47. Stryk. in not. ad Laut. tit. de pign. & hyp.*  
*verb. speciali. Coch. Pr. F. G. P. 2. p. m. 207. ibi: fallit.*  
 Quam sententiam quoque hactenus secuta *FCt. Jurid.*  
*Rost. v. g. anno 1693. m. Dec. & 1717. m. Ju. Dissent.*  
*Struu. S. J. C. Ex. 26. §. 38. Eckolt. ad tit. ff. de distract.*  
*pign. §. 2. n. 1. Lauterb. tit. de pignor. lit. O. in f.*
- Th. II. Fidejussor, qui se tanquam principalem, als einen  
 selbstschuldigen obligavit, non censendus renunciasse  
 exceptioni ordinis, *arg. L. 3 C. de fidejuss. Carpz. P. 2.*  
*C. 18. D. 2. n. 3. 4. Cothm. Vol. 1. Resp. 22. Bachov. ad*  
*Tr. V. 2. D. 28. Th. 5. lit. C. p. m. 949. seqq. Idem respon-*  
*dit FCt. Jur. Rost. anno 1612. m. Oct. & 1635. d. 17. Ju.*  
*Dissent. Mev. ad J. Lub. P. 3. t. 5. a. 1. n. 13. Gail. 2. O.*  
 28.

28. n. 2. 3. & 6. Zanger de Except. P. 2. C. 16. n. 15.  
 Legatum ad pias causas, valet absque testibus, dum- Th. III.  
 modo de manu testatoris constet, Dn. Lyncker P. 1. Cent.  
 5. Dec. 480. in fin. p. m. 310. Stryk. ad Laut. tit. de testam.  
 milit. verb. testib. factum sit. & ad Brunnem. J. E. L. 2. C.  
 12. §. 4. & de Caut. testam. C. 12. §. 3. Richter P. 1. Dec.  
 28. n. 15. seqq. ita quoque respondit FCt. Jur. Rost. anno  
 1628. 1629. d. 6. Mart. & 1716. m. Jun. Dissent. Thomas.  
 ad Strauch. Dissert. 9. Th. 31. verb. imo & sine testibus.  
 Carpz. P. 3. C. 4. D. 33. n. 8. seqq. & P. 2. Dec. 150. Mev.  
 ad J. Lub. P. 2. t. 1. a. 2. n. 57. sequ.

A matre & auia, non potest patri liberorum suorum Th. IV.  
 legitimæ ususfructus adimi, Nov. 117. c. 1. Brunnem.  
 C. 1. D. 93. n. 4. Dissent. Berl. P. 1. Dec. 137. n. 15. seqq.  
 Mev. P. 7. D. 356. n. 2.

Pacto Commissorio in pignore, nec jurato cum effe- Th. V.  
 ctu renunciari potest, (etiam jure Canonico, arg. c. 18. X.  
 de jurejur.) Carpz. P. 2. C. 30. D. 43. n. 3. Mev. ad J. Lub.  
 P. 3. t. 4. a. 2. n. 4. & prolixius Dn. de Jena in Dissert. de  
 L. Commissor. Th. 22. seqq. ad 28. Idem in specie dispo-  
 nit J. Stat. Hamburg. P. 2. t. 4. a. 10. Dissent. quoad J.  
 Canon. Lauterb. tit. de pignorat. act. Sign. J. n. n. 4.

Actio in factum de mortuo inferendo, iuxta Jus Ci- Th. VI.  
 vile Romanum, quoque datur heredi, & in heredem,  
 L. 9. ff. de relig. j. L. 31. §. 2. ff. d. t. Brunnem. & Gloss.  
 ad d. L. 9. Dissent. Hopp. Comment. J. tit. de perpet. &  
 temp. act. §. 1. verb. ex maleficiis pœnales.

Jure Lubecensi quoque solo priuatorum consensu Th. VII.  
 constituta hypotheca in bonis immobilibus, non est  
 plane inualida, & nulla. Mev. ad J. Lub. P. 3. t. 4. a. 1.  
 n. 58. sequ. & n. 64. sequ. Aliter respondit FCt. Jurid.  
 Rost. anno 1628. d. 3. Jan. daß nach Buchstäbl. einhalt  
 D Lüb.

Lübſchen Rechtes / keine hypotheca, es ſey denn dieſelbe auffm Stadt-Buch beſchrieben / zu recht beſtändig ſey / und daher keine privata ſcriptura ein dingliches Recht operiren / und rem ante concursum creditorum creditam afficiren / und verhaſſten könne.

Th. VIII. Si quis heredem iſtituerit, ſub illa conditione, ſi quando Theologiæ ſtudio operam dederit, ad quod ipſum tamen heres plane non fertur, hereditatem petere nequit, prout præjudicio hoc firmatum, teſte Dn. Ludwig, quo Titio 30000. Imperial. hereditas propterea negata. Ipſe tamen diſſentit in *Differt. de Jur. Rom. & Germ. differ. Halæ an. 1712. habita § 16. differ. 18. lit. cc. p. 78.*

Th. IX. Locatori prædii vrbani competit tacita hypotheca, in bonis conductoris poſterioris, L. 11. §. 5. verſ. plane ff. de pignorat. act. Brunn. ad L. 24. ff. locat. cond. n. 6. Franzk. ad d. t. n. 156. Lauterb. ad d. t. lit. O. verſ. item locari po- teſt: qui tamen a ſe ipſo diſſentit ad tit. quibus mod. pign. tac. contr. in fin.

Th. X. Valet teſtamentum myſticum. Meu. ad J. Lub. P. 2. t. 1. a. 2. n. 11. ſequ. Cothm. Lib. 5. Reſp. 23. n. 18. Schilter Exerc. ad ff. 38. poſt §. 43. p. m. 7:4. ſequ. Diſſent. Stryk; de Caut. teſt. C. 16. §. 25. p. 589.

Th. XI. Diſtinctio inter dotem profectitiam, & aduentitiam, adhuc locum habet in materia collationis bonorum. Stryk; de S. A. §. Diſſ. XI. C. 4. §. 5. 6. Quamuis vſum in hac diſtinctione ſemet haud deprehendere confiteatur Dn. Ludov. Vſ. Pr. Diſt. Jur. tit. de Jur. dot. diſt. 3. p. m. 147.

Th. XII. In actione negatoria libertas haud probanda, licet ad- uerſarius ſit in quaſi poſſeſſione ſeruitutis: quamuis e- nim in poſſeſſorio obtineat, in petitorio tamen proban- dum ipſi eſt, ſibi competere ſeruitutem, quod ex poſſeſ- ſione non præſumitur, Carpz. L. 1. Reſp. 67. n. 8.

Diſſ. Meu. P. 8. D. 292. n. 3.